

EPISTOLA.

Vt autem id, quicquid est nostri laboris, vestrae Sanctitatis pedibus audenter prouoluerem, praeter ea quae diximus, fecit paterna vestra benignitas, in eos maxime profusa, qui communem Ecclesiae causam suscipiunt. Hanc & ipse hactenus expertus sum, non modo Romae factis ad ipsam accessu, sed & nuper data edendi istius operis licentia, quam prosequendis studiis minimè defuturam esse confido.

Quod reliquum est igitur, supplex ad beatorum pedum oscula, Beatitudinem tuam rogo, vt duos istos priores Tomos gratos & acceptos habere, meque paterna benedictione donare digneris, qua simul & Dei gratia comite, breui tandem posteriores emittam. Deus interim Beatitudinem illam tuam ad commune totius Ecclesiae bonum prouehat, & incolumem seruet. VII. Non. April. M. D. LXXXIII.

Lutetiae.

Vestrae sanctitatis

Obsequentissimus & humilimus filius

*F. Thomas Beaux-amis ordinis
Carmelitarum.*